



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 62. Piczovienses ira commoti, ac dissoluto conciliabulo secedentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](#)

vitis, *Ego Pater meus agricola est: ego sum Sæcul. XVI.*  
*aqua saliens in vitam æternam &c. Nec A.C. 1565.*  
tamen prætensis hisce Reformatis de-  
fuiſſent argumenta ex traditionibus, Con-  
ciliis, Patribusque deprompta, quibus  
novas hasce explicationes, & sophis-  
mata eluderent: verum his armis pu-  
gnare nou audebant. Tandem post pro-  
lixam verborum contentionem, ac cre-  
bras calumnias ultro, citroque sparſas  
adulterini Reformati, cum nulla ex  
sacris literis argumenta proferre pos-  
ſent, quibus eorum adversarii non il-  
lico responderent, in pleno confessu tota  
vocis intentione intonabant: Gloria Deo  
Patri, Gloria Filio ejus unico, Gloria  
Spiritui sancto Paraclito nunc, & sem-  
per in sæcula sæculorum &c.

§. LXII.

*Pinczovienses ira commoti, ac diſſo-*  
*luto conciliabulo ſecedentes.*

Equidem Pinczovienses hanc agendi *Lublin. l.c.*  
rationem, qua Reformati uteban-  
tur, velut ſuæ ignorantiae, ac despe-  
ratæ cauſſæ argumentum reipsa inter-  
pretari debuiffent, illi tamen longe ali-  
ter hac de re judicabant, existimantes,  
quod illis insultandi animo blasphemiae  
contra Deum proferrentur, quapropter  
injuriam ſibi illatam vindicari poſtulan-  
tes in pleno confessu palam declara-  
bant,

**Sæcul. XVI.** bant, quod tantam ignominiam Magni  
A.C. 1565. Dei Majestati inferri haud ultra permis-  
 furi essent, quibus dictis se summa ira  
 commotos simulabant, ac dissoluto con-  
 ventu discedebant: vix autem Aulam  
 erant egressi, cum illico prætensi re-  
 formati Palatinum urgerent, ut pro  
 pace in suis Ecclesiis stabienda, atque  
 reprimendis Pinczoviensium novitati-  
 bus quædam statuta conderet: id quo-  
 que eorum precibus datum, moxque  
 sancitum, quod deinceps nullius publici  
 colloquii copia novellis hisce Ariani-  
 daretur, & Dei unius, triumque Per-  
 sonarum consubstantialium, & coæqua-  
 lium dogma integra fide propugnetur,  
 atque omnes spuriæ reformationis Ec-  
 clesiæ hunc articulum profiteri tenean-  
 tur. Verum omnes Pinczovienses Mi-  
 nistri, qui huic sententiæ non inter-  
 erant, vehementer eidem sese oppone-  
 bant, cauſſati, violata esse pacta ante  
 colloquium inita, eoquod Gregorius  
 Paulinus, ejusque socii cauſſa indicta  
 damnati fuissent: ast insuperhabita eo-  
 rum repugnantia, Antitrinitariorum  
 ſecta tam lingua, quam calamo acriter  
 impugnabatur, præcipue a Philoppvio,  
 & Lafficio, qui insuper petebant, ut  
 Pinczovienses eodem supplicio, quo  
 Servetus Genevæ, in Polonia affice-  
 rentur.

§. LXIII.